



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmestadi[i], 1671

Cap. XII. De Domino Salvatore nostro.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

annos propter insolentiam devoluto, regnum dividitur in Tetrarchias, *Herodi* juniori fratri, cum *Philippo*, & cum *Lisania*

C A P. X.

De Herode Filio Herodis.

Hic autem *Herodes minor*, brevi interjecto tempore, *Ioannem Baptistam* capite punit, virum valde bonum, qui præcipiebat *Iudæis* virtuti operam dare, justitiam inter se custodire, & in Deum servare pietatem, per baptismum in unum convenire, tam ad abluenda peccata, quam ad castimoniam corporis & animæ servandam.

C A P. XI.

Cur Ioannem baptistam interfecit.

Hunc, inquam, capite punit, pro eo quod objur- gabatur ab eo de *Herodiade*, quam abstulerat fratri suo *Philippo*, legitima uxore depulsa, & quia verebatur propter doctrinam ejus plurimos à suo regno discedere. Solâ hac igitur suspitione *Herodis*, & ob- jurgatione, vinctus in castellum *Macheronta* *Ioannes* abducitur, ibique capite obruncatur.

C A P. XII.

De Domino Salvatore nostro.

Per idem tempus Evangelicam latè seminat præ- dicationem Dominus *Iesus*, & duodecim ex omni- bus eligit, quos præferens sectatoribus suis, speciali- ter *Apostolos* nominat. Post hos LXXII. elegit discipu- los.

los. Omne autem tempus prædicationis suæ peregrinavit intra quadriennii temporis spatium, sub *Anna* & *Cajapha* pontificibus, ita ut *Annæ* pontificatus tempore incipiente prædicare inceperit, & usque ad initium *Cajaphæ* protenderit. *Iosephus*. Nam ab *Anna* usque ad *Cajapham* quatuor pontifices per ordinem fuerunt. Post *Annam* sedit *Ismaël*, post *Ismaëlem* *Eleazar*, post *Eleazar* *Simon*, post *Simonem* *Iosephus*, cui & *Caiaphas* nomen fuit. Testatur autem *Hebræorum* scriptor de *Domino Iesu Christo*, quis fuerit; de quo his verbis scripsit ita,

C A P. XIII.

Testimonium Iosephi de Christo.

Fuit autem iisdem temporibus *Iesus*, vir sapiens, si tamen virum eum nominare fas est. Erat enim mirabilium operum effector, doctorque hominum eorum, qui libenter quæ vera sunt audiunt. Et multos quidem *Iudeorum*, multos etiam ex gentibus, sibi adiunxit. *Christus* hic erat. Hunc accusatione primorum gentis nostræ virorum, cum *Pilatus* agendum in crucem decrevisset, non deseruerunt, qui ab initio eum dilexerant. Apparuit enim tertia die vivus, secundum quod divinitus inspirati *Prophætæ*, vel hæc, vel alia, invicem miraculo futura esse prædixerant. Sed & in hodiernum diem *Christianorum* nomen perseverat & genus.

C A P. XIV.

De discipulis Christi.

Apostolorum nomina ex *Evangeliis* manifesta sunt.

Septua-